



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

Parisiis, 1644

Vita Et Epistola Clementis Papae II.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15625

ANNO
CHRISTI
1046. Sicut etiam quod de electione successoris constitutum esse adiicitur. An Grego-
rius hic de-
positus?
Scribit enim Leo Ostiensis, quod facta abdicatione Gregorii imperator exultans cum omnibus ipsius Concilii episcopis Romam venerit, & in ecclesia B. Petri apostoli congregato clero populoque Romano, quid Sutri gestum esset exposuerit, & de ordinando pontifice tractatum fuerit: & præterea quod post factam diligentem inquisitionem, cum nullus alius tanto munere & officio dignus inueniretur, electione omnium episcoporum Bambergensis ecclesiæ ab Hamburgensi presentatus, natione Saxo electus, cique nomen Clementis secundi impositum fuerit. Vide Baronium anno 1046. num. 12.



VITA ET EPISTOLA CLEMENTIS PAPÆ II.

CLEMENS papa natione Germanus, huius nominis se-
cundus, ante Suidgerus appellatus, post factam Gre-
gorii sexti abdicationem, ex Bambergensi episcopo opera
studioque Henrici regis, quasi tanto munere dignior nul-
lus inueniretur, vnamini consensu omnium creatus est
pontifex Romæ in vigilia nativitatis Domini anno 1046.
Postero die nativitatis Domini ex more consecratus, &
nomine Clementis secundi appellatus, Henricum regem, Henricus
coronatur.
eiusque coniugem, Agnetem imperiali benedictione subli-
mauit. Imperator Roma discedens Gregorium sextum
quondam pontificem, ne quid ipso præsente Romæ inno-
uaretur, secum in Germaniam abduxit. Comitatus est eum
Hildebrandus eius discipulus, sedis apostolicæ subdiaco-
nus, postea vero Gregorius septimus. Cum eodem Roma
profectus est Clemens, qui ultra montes, teste Leone
Ostiensi, septimo Idus Octobris, nono mense a sua pro-
motione ex hac vita migravit. Corpus eius Roma Bam-
bergam translatum sepultum est Bambergæ. Quod cum
Benedicto innotuisset, ille tertio sedem apostolicam inua-
sit, eamque usque ad Damasi II. electionem per octo
menses tenuit. *Leo Ostiensis.*

Clemens
II. quando
& a quibus
pontifex
electus?

Henricus
coronatur.

Clementis
obitus, &
tempus se-
dis.

EPISTOLA SIVE DIPLOMA
CLEMENTIS PAPÆ II.
AD IOANNEM SALERNITANVM ARCHIEPISCOPVM.

Factam eius translationem ex episcopatu Pestano in
Salernitanum confirmat, eique pallium
concedit.

*Clemens episcopus seruus seruorum Dei dilecto in Christo fratri
Ioanni amodo Salernitano archiepiscopo perpetuum
in Domino salutem.*

QVOTIENS ita contingit, vt exigente necessitate, & maxima vtilitate transmutandus est quisquam episcopus de propria sede ad aliam, diligentissime perquirenda est persona, vtrum necessario sit transmutanda, vt sic maior vtilitas oriatur, sicut maior sedes assumitur. Te vero, frater carissime, quem vnanimitas cleri & populi Salernitanæ ecclesiæ vna cum gloriofissimo principe Guaimario de fede Pestana accepit, & in suum pontificem elegit, diligenter discussimus, ne tuæ ambitionis causa, & non maioris vtilitatis necessitate electus fuisses, aut forte per simoniacam haeresim. Quod ita ab omnibus est abnegatum, vt nullius audiretur ore prolatum. Si quidem Salerni manentes, & hoc ab omnibus perquientes, cum te audiremus ab omnibus laudari, & ab omnibus videremus amari, Dominum benediximus, qui tantam concordiam in tanta hominum diuersitate super te potuit efficere, vt nullus videretur discrepare. Etenim circa te idem amor in omnibus, eadem intentio, communne omnibus desiderium. Quapropter annuentes petitio ni votoque eorum omnium, & maxime prædicti glorio principis Guaimarii, te, frater, sicut & de sede propria ad suam transtulerunt, poscentibus tuorum meritis morum, non rapina tuæ auaritiæ id affectante, apostolica assensione per hoc nostræ auctoritatis priuilegium incardinamus & inthronizamus eidem Salernitanæ sedi, in qua fungaris archiepiscopi decore & honore. Nam in te nobis complacuit, quidquid de te fama dispergit, videlicet

sanctitas, castitas, benignitas, & omnia quæ Deo placabilia sunt.

Vnde in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, archiepiscopali pallio nostra apostolica manu dilectionem vestram insigniuimus, quo utaris toties in anno, quoties praedecessores tuos eo usus fuisse constat. In quo, quia de vel-^{Quid signet} lere ouis est, intellige te ouium pastorem. Et quia eo circumcingeris, & etiam circa humeros portas, cognoscas & vndeque circumspicias, ne aliqua erret, & in morsus incidat luporum. Quod si aliquando (quod absit) contigerit, eam habeas in humeros ad caulam reportare, & pristinæ societati coadunare. Quod vero ante & retro Crux Domini habetur: illud apostolicum semper docet ante oculos tuæ mentis habere: *Mibi mundus crucifixus est, & ego Galat. 6. mundo.* Confirmamus etiam tibi ipsum ex integro archiepiscopatum Salernitanum, cum omnibus adjacentibus parochiis suis. Et insuper licentiā damus & potestatem ordinandi & consecrandi episcopos in his subiectis vobis locis, hoc est Pestanensem episcopatum, cum parochiis & adjacentiis suis, & episcopatum Consanū, & episcopatum Nolanum, & episcopatum Maluitanum, nec non & episcopatum Acerentinum, simulque & episcopatum Bisiniensem, atque episcopatum Cusentiae, cum omnibus parochiis & adjacentiis eorum. Pro pallio vero, quod supra diximus, post discessum quidem tuum successores tui perueniant ad apostolicam sedem, & usum pallii consecrationemque decretaliter recipiant, & non habeant potestatem successores nostri in cunctis praedictis episcopatibus, quos vobis apostolica auctoritate concessimus, deinceps episcopos consecrare, quemadmodum vobis concessum est. Si quis autem nefario ausu (quod non optamus) huic nostræ concessiōi aliquo modo contraire voluerit, & omnia supra scripta a nobis firmata violare præsumperit, perpetuo anathematis vinculo religetur. Et ut hæc nostra concessio firma in perpetuum maneat, bulla nostra & sigillo eam signari præcepimus. At qui pio intuitu custos & obseruator huius nostri priuilegii extiterit, benedictionis gratiam & cælestem retributionem a iusto iudice Domino Deo nostro consequi mereatur in sæcula sæculorum. Amen.

Scriptum est per manus Ioannis scrinarii & notarii sacri

Lateranensis palatii, &c. Datum XII. Kalendas Martii
per manus Petri diaconi & bibliothecarii & cancellarii
sanctæ apostolicæ sedis, anno domini Clementis II. papæ
primo, indictione decimaquinta.

CONCILIVM ROMANVM
AD REFORMANDVM ECCLESIAE STATVM,
contra simoniacos in primis celebratum anno Christi
M X L V I I. tempore Clementis papæ II.

NOTA.

A quo indi-
ctum?
Quid actū?

² *Concilium.*] Clemens recens creatus hanc Synodum, teste Pe-
tro Damiani in epistola ad Henricum archiepiscopum Rauennati
, ad reformandum ecclesiæ statum Romæ indixit, in quo illud
potissimum annitente imperatore conatus est, ut simoniacos vepres,
qui adeo excreuissent, ut patrisfamilias fementem suffocarent, non
modo succideret, sed penitus eradicaret. Quid vero contra simonia-
cos hic constitutum fuerit, his verbis prædicta epistola recenset:
*Post longam sane disceptationem, tandem suggestum est reuerende me-
memorie imperatori eiusdem sedis episcopum Clementem decreuisse, ut qui-
cumque a simoniaco consecratus esset, in ipso ordinationis sue tempore non
ignorans simoniacum esse, cui se obtulerit promouendum, quadraginta
nunc dierum penitentiam ageret, & sic in accepti ordinis officio ministra-
ret. In eadem hac Romana Synodo alterationem esse obortam in-
ter Mediolanensem, Aquileiensem, & Rauennatem antistites, de loco
sedendi, quinam ipsorum proximus apud Romanum pontificem se-
dere deberet, adiudicatam autem esse causam Rauennati, narrat Hiero-
nimus Rubeus in historia Rauennate, deque his confectum esse
diploma, quod se vidisse testatur.*

VITA
DAMASI PAPÆ II.

ANNO
CHRISTI
1048.Damasus
quando,
vbi, & a
quo ele-
ctus?

DAMASVS, qui, cum esset episcopus Brixiensis, Pop-
po nominabatur, sedi apostolicæ ab imperatore præ-
sentatus, & Romam missus, omnium suffragiis est ele-
ctus, comprobatus & consecratus pontifex Romanus an-
no Domini 1048. tempore Henrici imperatoris II. Sedit
dies tantum viginti tres, defunctus Prænesto, ut habet Leo
Ostiensis: delatus Romam in ecclesia sancti Laurentii ex-
tra muros est sepultus. Sedes usque ad annum sequentem
vacans, vnguibus Benedicti inuasoris discepcta fuit.

VITA